

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Rudolph Redecker Johann Heinrich Stephani

**Disputationem Inauguralem Iuridicam De Confessionibus Coelesti Numine  
Annuente ex Decreto & Concensu Nobilissimae Facultatis Iuridicae in  
celeberrima ad Varnum Academia**

Rostochii: Kilius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735224218>

Druck Freier  Zugang



Gevidetur

R. U. j. 1665-

Heinrich Rudolf Reckter, Mus. 16.  
Johannes Heinrich Stephan, Rep.

Mis Progr.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn735224218/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735224218/phys_0002)



93

DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
JURIDICAM

Dicitur

CONFESSİONIBUS  
COELESTI NUMINE ANNUENTE

ex Decreto & Consensu Nobilissimæ Facultatis Juri-  
dicæ in celeberrimâ ad Varnum Academiâ

PRÆSIDENTE  
VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo atq; Excellentissimo*

DN. HEINRICO RUDOLPHO

Redefer / J. U. D. P. P. Sereniss. Duc. Mechlen.  
Consiliario, Consistoriiq; Ducalis Assessore, & Amplis-  
simæ Facultatis Juridicæ ad hunc actum Decano  
spectabili

Dn. Patrono, ac Studiorum suorum Promotore æviter-  
num suspicioendo  
publicè examinandam, placideq; ventilandam

PRO LICENTIA

Summos in utroq; jure honores ac privilegia  
doctoralia ritè consequendi  
proponet

JOHANNES HEINRICUS STEPHANI,  
Custrinô NeoMarchicus:  
In Auditorio Majori ad diem VI. April.  
horis ante & pomeridianis.

---

ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS KILI, Acad. Typogr. ANNO M. DC. LXV.

DISPUTATIONEM IN INGENIARIA  
TRIDICAM

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

Qua cung<sup>is</sup> disputatio incipit à non ente et probat non entis esse  
partes qualit. anis differ. ex non ente ille suspectā tradit  
confessionē prae nobilis Dng candidat<sup>y</sup> incipit à non ente  
et probat non entis esse nullas partes etc. ex non ente  
E Dng clericis. Quid. suspectā tradit confessionē  
Maj. vera et clara. minor. prob. qd Gaius citato loco ē  
non ens (1) quoad verba (2) tgo ad num. Septem lantū.  
et non pluram agnoscit numerus. vel ita  
Quicq<sup>is</sup> loci est non ens ille non pt probare nullas ee  
non entis partes qualitas. vel diff. Atq<sup>z</sup> sic sic ex  
Gaius citat<sup>y</sup> ē non ens 2.

11

# IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI ad omnia consilia, omnesq; actus semper progredimur L. 2. C. de Offic.

Pref. Præt.

**S**icut non entis nullæ sunt partes,  
qualitates, aut differentiæ arg: l. 41. ff. si cert:  
pet: & §. 1. Instit: de inutil. stipulat: Gail: 2. Obs: Gail. nibil  
14. n. 12. ita & negantis per rerum naturam  
nulla est probatio l. 23. C. de probat: quia o  
mnis negatio eo ipso censetur valida, dum  
non probatur contraria affirmativa l. 1. l.  
actor C. de probat. Cum autem à qualitat  
bus définitiones in omni disciplina sint su  
menda, etiam probationes civiles, quæ nihil aliud sunt, quam veræ  
facti alicujus definitiones & demonstrationes, exinde petendas esse, au  
tumo. Harum vero aliæ sunt propriè sic dictæ, aliæ verius relevatio  
nes ab onere probandi. Illarum duo dantur genera, vel enim aliquid  
probatur minus artificialiter, per manum vivam h. e. per testes, vel per  
manum mortuam h. e. per instrumenta l. 11. C. de fid. instrum. l. 2. C. de  
testib: Quarum multæ sunt species: etenim liberatur quis ab onere pro  
bationis, modo per præsumptiones tot. tit: ff. de probat: & præsumpt:  
quæ ex indiciis desumuntur l. si de possessione 20. C. de probat. l. 21. l. ult.  
cod. l. 19. C. de R. V. l. 15. C. de jur: dot: & l. 10 arbitr: tutel: undè vocantur  
etiam argumenta in d. l. 2. C. de testib: & l. 2. C. quor: appellat: non recip:  
modo per jusjurandum, quo præstito non amplius queritur de verita  
te causæ, sed an juratum sit l. 11. §. ult: l. 30. in pr: ff de jurej. modo per  
evidentiam facti c. 15. X. de restit: spoliat: quo refertur inspectio Judicis  
l. 32. ff. de minor. l. 8. §. 1. ff fin: regund: modo deniq; per confessionem  
adversarii. l. 1. §. 1. ff. de interrog: in jur: fac: l. 16. in fin. C. de pœn: & tot:  
tit ff.

A

tit ff. C. & Decr: De ultimâ hac specie, quæ à probatione relevat, tanquam in utroq; Jure dispersâ materiâ, cum præ cœteris mihi maximè delectamento sit, ac arrideat, theses hasce inaugurales, pro summis in utroq; Jure honoribus ac privilegiis Doctoralibus consequendis, conscribere, placidæq; ventilationi eruditorum subjicere, est animus, quod ut feliciter succedat, divinum numen supplex veneror. Sic itaque hæc Duce DEO

### THESIS I.

**C**um de intellectu alicujus materiæ prius constare nequeat plenè, quām si explicatio vocis præmissa sit, merito ea, quæ ad dilucidationem nominis faciunt, præmittenda sunt. Prostant autem tria, quæ ansam ad vocabuli hujus illustrationem præbent, (1) Origo vocabuli ac derivatio, (2) varia vocis acceptio, & (3) nominis cum aliis in significatione communio. Primum quod attinet, voculam *Confessionis* ex præpositione cum & verbo fateri, quod secundum *Varronem lib. 5. n. 7. de Lingv. Lat.* dictum est à fari, significans dicere, eloqui aliquid, compositam esse, omnium constans est sententia, hinc apud veteres dies *Fasti & Nefasti*, in quibus sc. jus dicebatur, vel non; Sic *Ovidius*.

Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur.

Fastus erit per quem Lege licebit agi

Combinatis itaque duobus istis vocabulis, prosiliit verbum confiteri, quod aliquid amplius sonat, quam simpliciter fateri. Confert enim id, quod alias forte jam enunciaverat, quasi dicas cum altero fateri.

Th. II. Secundum ὄμομα τολεγίας requisitum, quod modis hoc vocabulum sumatur demonstrat. Accipitur verò (1) late, pro qualcunq; contra se pronunciatione *Quintil: Declam: 313* (2) pro pronunciatione judiciali, quæ pronunciantis intentiam definire videtur *Paul. l. 1. ff. de confess.* (3) pro cautione, ut in *l. 23. §. 2. C. ad SCT. Vellej. & l. 20. in fin. ff. de donat.* ut & *l. 25. §. 4. ff. de probat:* & hoc more Græcorum, qui cautionem ὄμολογίαν vocant *Gothofr. in not: ad l. 23. lit. K. Cujac. in exposit: Novel: 1. fol: 11. circ: med:* (4) pro cautione de judicio sibi *l. pen: C. de fidei juss.* (5) Vocabulum hoc ex *Novell: 141. c. 1. in verbis: beatissimo Patriarchæ renuncient &c.* quoddam singulare genus confessionis, auricularis sc. seu tacita, indicare, putat *Gothofr. in not: ad d. Nov.*

Th. III

Th. III. Vocatur autem confessio aliter à Theologis , aliter à J<sup>C</sup>tis. Illis secundum Dietericum in inst. suis catechet. confessio nihil aliud est, quam cum quis more alicujus Ecclesiæ , coram Ministro illius ordinario generatim , quandoq; speciatim, conscientiæ necessitate postulante, delicta sua aperit , absolutionemq; eorum petit, can. 2. extr. de Off. Jud. ord. dicitur Germanicè die Beichtę. De hāc mihi ex instituti ratione non est sermo, ne fiat μετάβασις īq; nō ἀλλο γένεσις, & falso mit tatur in alienam messem.

Th. IV. Tertium deniq; ostendit, quemadmodum alia vocabula huic suam communicent significationē. Appellatur enim à J<sup>C</sup>tis alias asleveratio & protestatio l. 13. C. de non numer: pecun: l. 20. de interrog. in jur: fac: l. 6. ff. b. t. affirmatio Cyn: ad L. uu: C. b. t. n. t. vel contra se pronunciatio Barn: Brifon: lib. 3. de V. S. aut judicatio Cujac. in parat: C. b. Germanicè ein Bekanntniss. Hinc communiter, loquimur : culpæ confessio, debitores confessi, & confessum; confessum nomen quod non est in controversia l. 15. §. si quoq; ff. de re jud: & confessus reus l. ult. ff. de bon: eor. Hæc de διορατολογίᾳ.

Th. V. Absolutā nominis explicatione, accessum facio ad τεχνηματολογίαν seu rei elucidationem , in quā præmittenda est confessionis Definitio: Definitur autem à Dd. variè. Vult: 2. J. R. c. 2. n. 3. G. 16. loco generis ponit probationem : quod non admodum placet. Confessio enim vera & propriè sic dicta, probatio appellari vix poterit , ut iuprā dictum , licet probationis vim habeat, & ab onere probandi relevet: posito tamen probationem maximè esse , sic definiri non possarbitur, quoniam ex confessione, sicut ex instrumento, probatio descendit. Uti itaque effectus per causam suam non definitur recte, ita nec concinnè confessio per probationem. Malo igitur illam admittere descriptionem , quam suppeditat Cujac. d. l. dum dicit, quod Confessio, sit, qualiscunq; contra se pronunciatio, vel contra se judicatio. Genus hoc in præsenti descriptione confessioni proprius accedere videtur, eiique proximiū esse. Nam qui aliquid pronunciat, confiteri istud intelligitur. Est enim confiteri nihil aliud, quam aliquid asseverare seu affirmare. Inde asseverans assertionem suam retractare , nisi ex justo errore vel metu facta sit , ut infrā pluribus dicetur , atque ab eā recedere non potest l. un: C. b. Nam confessione nihil contra confidentem esse per jus, dixit Quintil: s. Instit: Orat. c. 13. sed habetur ea pro veritate.

A 2

Th. VI.

Th. VI. Dividitur Confessio multis modis (1) ab adjuncto in Criminalem, quæ tormentis exquiritur Wesenb: in Parat: de quaſt. & Civi-  
tatem. Hæc iterum à loco subdividitur in judicialel, l. 4: ff. de inter-  
rog. act: ibid, gloss. l. 6. ff. h. t. & extrajudicialel. 40. in pr: ff. de paci. Illa-  
in genere hodie est, quæ non inter privatos sed eoram Judice vel  
Magistratu competente, & pro tribunali sedente, in negotiis cauſe  
cognitionem requirentibus peragitur, Marant: in suo tract: de ord: judi-  
cior: in 6. p. n. 30. & quidem dupliciter, juxta Dn. Hahn. in Obs: ad We-  
senb: h. t. n. 2. (i) verè, ut quando quis in judicio conventus expreſſe  
confitetur l. 6. §. 2. ff. h. t. (2) præsumptivè, quæ colligitur ex facto ſeu  
re ipſa, ut quando quis paciſcitur de criminē l. 5. de his, qui not. infam...  
l. 10. C. ad L. Jul. de adult: contumacia c. 2. extr. de præſumpt: ſola inter-  
dum ita turnitate l. 1. §. 3. ff. de tribut. act: Item fugā l. 23. §. 1. ff. de bon:  
liber: l. 7. §. 2. ff. de ſuſp. tutor: Wesenb: h. t. n. 5. junge Coll: Jur: Arg: h. t.  
n. ult. adeoq; alia eſt confessio vera, alia præſumta.

Th. VII. Et ſic vel ante judicium constitutum, ubi Magistra-  
tus ſive Judices juris dicendi vel judicandi gratiā conſiſtunt l. 4. in fin. ff.  
de interrog: jur: fac. aut intentionis actoris formandæ vel instruendæ cauſa,  
ad præcedentem interrogationem, à reo litigaturo; aut ſua ſponte,  
re citra interrogationem illam ſuper actoris intentionem probanda,  
litis evitandæ cauſa, à reo bonam fidem agnoſcente, de quo infrā. Vel  
judicio jam conſtituto & lite pendente. Dicitur verò judiciū con-  
ſtitutum & lis pendens, quando non ſolum lis eſt confeſtata c. ex parte  
30. in fin: extr: d. v. s. Sed etiam ( ut Doctoribus placet ) post ciratio-  
nem reo intimatam, usq; ad ſententiam definitivam c. 1. & 2. imò etiam  
post ſententiam definitivam, ſi ab eā ſit appellatum vid: Pat. Isagog. in  
Decret: ut lite pend. Hæc ſc. extra judicialis dicitur ea, quæ non apud  
Magistratum vel Judicem, ſed à privatis inter privatos emittitur Joha-  
n Calvī in Lexit. jur: qualis confessio in l. 24. C. de tranſl. occurrit.

Th. VIII. Item alia expressa, quæ expressis atq; claris verbis  
perficitur, alia relativa, ſi ſcilicet quis ſe referat ad instrumentum  
aliquod. Alia licita, qua de re licita fit, alia illicita, quæ in jure prohi-  
betur. Videtur enim illicitam rem confitens per confessionem ſuam  
propriam allegare turpitudinem, hinc non audiendus l. mercalem 5.  
C. de condic: ob turp: vel: inj: cauſ: Alia vera, quando quis reverā, &c., ut  
res ſe habet, confitetur, alia falsa, l. 13. ff. de interrog: ſi quis, non ut  
in ſe reſ

in se res est, sed ut verosimiliter comparata esse videtur, confessionem facit, e. g. quando maritus asserit in præjudicium creditorum dotem cauam sibi numeratam esse, cum tamen de numeratione non facta, satis constet Hahn: ad Wesenb: b. t. n. 5.

Th. IX. Alia spontanea, quæ suapte sponte absq; tormentis & meru fit gloss: in l. 22. ff. quod met: caus. c. 1. caus. 15. q. 6. Wesenb: in parat: h. n. 5. Confessioni enim coacte & invitè factæ, parum fidei est habendum, nam ad confitendum nemo est compellendus; alia invitæ, quæ vi metuæ extorquetur d. c. quandoq. i. 15. q. 6. Myns: 5. Obs: 23. qualis est, quæ per tormenta fieri solet Lanfr: ad c. quoniam c. 7. n. 7. deprobat: Alia jurata c. 18. extr. de accusat: quæ sit mediante juramento, quod hodie regulariter dandorum & respondendorum vocare solemus; alia non jurata, cum simpliciter, nullo interposito juramento, aliquid affirmo. Alia revocabilis, quæ propter errorem facti, si de eo constet, vel ante, vel post conclusionem in causâ, modo ante sententiam fiat, potest revocari, Trentacingy: lib. 2. resol: i. de confess: n. 1. & 19. nec erranti nocet, alia irrevocabili, quæ vel absque errore sit, vel etiam, si error sit manifestus, tamen post sententiam, nisi causa subsit, revocari nequit Trentac. d. l. n. 21.

Th. X. Alia est cum causa, quando quis confiteretur debitum, adjecta causa ex qua debet, alia sine causa quando causa debendi abest & si cautio 14. ubi DD. x. de fid: Instr: cui assimulatur illa, quæ falsam causam habet, si fiat extra judicium Bald: in Rubr: C. de Const. pec. col: 2. Masecard: de probat: concl: 345. Alia simplex, alia geminata, hæc autem sine adjectione causæ probat, quia geminatio præsupponit deliberationem & si quis iuratus 2. q. 3. Mase. d. l. n. 52.

Th. XI. Alia obligatoria, quâ quis ad dandum vel faciendum aliquid obligatur e. c. si quis fateatur, se esse alterius debitorem, deinde etiam de debito isto creditorū constare cœpit, negaturus autem est debitor debitum, nihilominus tamen ex confessione tenetur, & ad solvendum obligatur, quia non præsumitur aliquis temere in sui præjudicium aliquid asserere Ripa tract: suo de confess: obligat: c. 28, Alia liberatoria, quæ aliquem propter solutionem obligationis nexibus eximit, iisque liberat; ut si quis fateatur sibi debitum jamjam solutum esse arg: L. tale p. d. ff. de part: & ibi Bartol: Hæc enim confessio liberat debitorem, eiq; dat exceptionem sc: solutionis, quâ oppositâ actoris intentionem re-

moveare, ac se tutum reddere potest. *alia purgatoria*, quando quis per confessionem suam aliquem delicto purgat. l. 2. ff. ad SCt: *Silvan:*

Th. XII. A divisionibus confessionis ordo me ducit ad causas: Illius autem efficiens remota, est ratio & pudor naturalis, eamq; secuta est lex 12. tab: Proxima est voluntas ejus, qui bonam fidem agnoscit, vel evidentiâ rei atque veritate convicta l. 16. C. de pæn: c. tua extr: de cohab: cleric: & mulc: vel juramento dandorum & respondendorum elicita, de quo vid. *Gail:* 1. obs. 79 n. ult: *Vult: Jurispr: Rom:* 2. 31. n. 44. *Wurmsen:* 14. *Obs:* 8. vel aliis objectis ad confitendum commota, impulsa vel irritata *Wesenber:* in parat: b. t. n. 3. Si enim confessio delinquentis cum evidentiâ rei & veritate conjuncta sit, omnesque ii, qui delicto interfuerunt, in unum post concordent, quâm tormentis vel interrogationibus fuerint dediti. Judex sententiam ferre, eamq; adhibito ac probè observato hòc temperamento, in confessum promere potest d. l. 16.

Th. XIII. Non autem cuiuslibet confessio statim facit fidem, sed circa subiectum agens sequentes notæ requiruntur (1) ut facta sit à majore 2 s. annis. Nam confessio infantis etiam tutoris autoritate accedente nulla est, quia ejus ætas, quicquid vider, ignorat l. 1. C. de falsi monet: ferè subfin: Si vero impubes sit, citra tutoris autoritatem confessio non nocet, verum cum autoritate ejus nocet, sed adversus eam in integrum restitutio peti potest l. 6. §. pen: ff. b. t. Perez in prælect: C. b. n. 12. In minori distinguendum est, vel enim habuit curatorem, vel non: illo casu absque curatoris consensu facta confessio nulla est, cum vero ea cum ejus consensu emissa sit, contra eam, si læsus: datur restitutio d. l. 6. §. pen: infin: nā hòc casu quidé confessio valida est, sed ipse minor iterum gaudet dicto beneficio restitutionis sc: in integrum. Neq; his obstat d. l. 6. §. 5. in fin: b. t. ex quâ statuendum videtur, minoris confessionem indistinctè valere, quia ibidem indistinctè asseritur ipsum ex confessione suâ restitui. Texus enim ipse restringendus censemur ad casus, quibus confessio minoris valida est, cum restitutio in integrum semper detur contra actum validam. Ideoq; intelligendus venit, ut restituatur minor, si (1) non habens curatorem confessus sit (2) si cum curatoris, quem habet, consentu læsus sic ex suâ confessione. Læsio enim à minori omnijure probanda est, cum minor, quâ minor non restituatur, sed quâ in minori ætate læsus est. Etenim non semper

per ea, quæ cum minoribus geruntur, rescindenda esse, ait JCtus in l. 24. §. 1. *¶ de minor:* Sed ad bonum & æquum redigenda, ne magno incommodo hujus ætatis homines afficiantur, nemine cum iis contrahente: & quodammodo commercio iis inter dicto. Itaq; nisi aut manifesta circumscriptio sit, aut tam negligenter in eâ causâ versati sint, Prætor interponere se non debet d. l. 24. (2) Ad validitatem confessionis requiritur, ut confitens sit dominus causa *Wesen bei: parat. b.t.d.n.3* Non enim sufficit procuratores, tutores, curatores confiteri d. l. 6. §. 4. b. quia confiteri est perdere, rem autem domini hi omnes perdere non possunt *Don. 48. Com. i. in verb: confess.* cum ipsorum confessio cedere in domini præjudicium dicatur in t. suborta. extr: de sent: & re jud: c. ult: extr: de confess: Temeraria itaq; non videtur esse distinctio Cyni. in l. un: C. b. t. ut tum demum procuratoris, tutoris, curatoris confessio veris dominis præjudicium non afferat, cum sponte, voluntarie, nullâ compulsi necessitate eam emittant *Cujac: inc. ult: extr: eod:* Quando autem propter officium suscepimus ex necessitate injure, judiciove respondere, coguntur, dominis præjudicet, & hoc quoq; colligere est ex l. non solum ff. de Procurat: & asserit Purpur: in l. mutuum §. creditum ff. si cert: pet: n. 117. ita tamen, ut præjudicium semper procuratores, tutores, curatores removere possint, si errorem admissum probaverint *Mascard: de probat: concil: 369.* Hinc & Advocati confessionem nocere clienti, nisi is confessionem in continent revocaverit, patet ex cap. olim causam. 21. ubi Panormit: vers: secundo extr: de censib: Perez in C. b. t. (3) ut quis non sit metu compulsus: *Non enim valet confessio, quæ per merum fraudem vel vim extorquetur c. si quando b. 15. q. 6. c. Lotharius in fin: 31; q. 2. Mynf. 5. Obj. 23.* qualis est, quæ per tormenta fieri solet, ut dixi. (4) ut non sit errore inductus: non enim fatetur, qui errat in facto sc: ex justa causa l. 2. h. 3. l. 11. §. 10. ff. de interrog: in jur: fac: c. ult: extr: b. t. c. 62. extr: de appellat: c. 2. de restit: in integr: in 6. facit l. 8. 9. ff. de jur: & facit: ignor: l. 7. C. eod: l. 2. princ: de jud: l. 15. ff. de juridict: l. 16. de R. f. l. 57. de O. & A. Hujusmodi erronearum exempla reperiuntur plura in L. 8. C. de jur: & facit: ignor: l. 1. C. de fals: monet: quibus addi potest l. 6. 13. 23. C. de solut: quæ tamen confessionis extra iudicium videntur. Error iuri non videtur excusare confitentem d. l. 2. cum non sit justus secundum ea, quæ traduntur tit: D. & C. de jur: & facit: ignor: quod tamen saltem quoad lucrum captandum, aliud n. in damno vitando obtinet. Debet autem

autem confessio fieri super re principali, non etiam super uno articulo ex pluribus, quos solet actor ponere, ut explicat *Gloss: in c. i. eod: in 6.* non enim relevatur actor ab onere probandi, nisi quoad ea, quæ confessus est reus *Zoef: com: ad ff. b. t. n. 6. (5)* opus est, ut confitens sit sanæ mentis: Inanis enim & frustranea esset ea, quæ à furioso, mente capito &c. facta est confessio, quia nulla est harum personarum ratio, nullus consensus, imò nec judicii capaces sunt, ut plane judiciale con-fessionem subire queant. (6) denique confessio non deber esse simulatè concepta: Simulata namq; conceptio verborum sicut in nullo nego-tio quicquam valet, ita nec in confessione *Just: Mejer: in Colleg: Argent:* b. t. n. 4.

Th. XIV. Potest autem confessio de omni re litigiosa, seu quæ in controversiam vocatur, fieri. Nam confessio nullius est usus, nisi de eâ refiat, unde lis vel controversia oriatur, vel gigni possit. *l. confessionibus ff. de interrogat: act: sive negotium, de quo agitur, sic civile l. 4. h. t. l. 9. §. 2. in fin: l. 37. §. 1. in med: ff. de minor: l. 26. §. 5. ff. de noxal: act: sive criminale l. 4. in fin: princ: ff. ad L. Jul: Majes: l. 5. ff. de custod: reor: c. 4. extr: de judic: c. 1. de accusat: in 6. c. 1. extr: b. sive actio sit in rem l. 6. §. 2. princ: ff. b. t. sive in personam, eaque simplex vel alterna-tiva d. l. 6. §. 1. sive etiam civilis, vel honoraria, d. l. 6. §. 2. dummodo ea, quæ emissâ sunt per confessionem, non aduersentur juri c. ult: ff. de pañt: vel naturæ d. l. *[confessionibus]* 14. ff. de interrog: act: Confessiones enim tunc ratæ sunt, cum id, quod in confessionem venit, & jus & na-tura recipere potest, ut prudentissimè respondit *Iavolennus* in l. si in cu-gus nomine §. 1. ff. de interrog. act: De iis autem quæ contra naturam & jus sunt, nec pactum, nec confessionem valere voluit *Ulpian: in l. juris gent: 7. §. Prator ait & §. seq: ff. de pañt: & c. fin: extr: eod: c. solet queri: 2. q. 2. c. fin: extr: de condit: appos: quia confessiones naturæ & legibus ut dixi convenire debent, secundum Paul: in d. l. *[confessionibus]*. Con-stare etiam præcipue debet de corpore delicti, h. e. existere debet id, quod in confessionem venit, e. g. interfictum esse necesse est hominem, cuius se cœdem fecisse quis confitetur l. 4. ff. b. t. *Wesenb: in parat: b.* Item rem in rerum natura esse oportet, quam quis se debere dicit l. pen: l. fin: ff. b. t.**

Th. XV. Debent autem confessiones certum quid continere l. 3. 6. princ. ff. h. t. certum enim confessus pro judicato erit, incertum non

9

non erit d. l. 6. in print: *Certum vero id maximè est, quod individuum determinat, proinde non sufficit, constendo dicere, debo, sed speciem confiteri debet.* Ergò etsi quis confessus sit, se debere corpus aut Stichum vel fundum dare, insuper urgendus est, ut certum confiteatur d. l. 6. §. 1. *We senb: in parat: b. n. 4. i. e. determinatum & numero unum corpus.* Et in alternativa obligatione, cum debitoris sit electio §: 33. *Instit: de act: ita confiteri debet, ut alterutru e.g. Stichum se debere dicat, vel dicat se fundum debere.* Item is qui rem confessus est, ut certam quantitatē fateatur, d. l. 6. §. 1. *in fin:* *Nam certā quantitate expresa, non erit opus estimandæ rei arbitrum dari, si modo inter reum & actorem conveniat.* Quod si nemo uscerit reum, ut certam quantitatē fateatur, tum postea rei estimandæ arbiter dandus erit, etsi inter partes non conveniat. *Quod si tamen incertum confiteatur, urgendus est, ut certum exprimat d. l. 6.* *Azo in summ. n. 5. C. de confess: Quid si certum confiteri nolit, pro confessio habendum est arg: l. II. §. 7. ff. de interrog: act: Don: 28.* *Com: 1.* Deniq; si confessio super re & facto emissa vim & effectum suum habere debeat, necesse quoq; est, ut illa res & factum non sit favorabile, eo quod confessio facta contra rem favorabilem non præjudicet: unde si ingenuus confiteatur se esse servum, hujusmodi confessio confitenti nihil afferre præjudicii potest, propter libertatis favorem ut in l. interrogatam C. de liber: caus: & hoc verum est, nisi confiteatur istud in iudicio causa libertatis: tunc enim confitenti præjudicat, nisi ipse contrarium prober *Goth: in not: ad d. l. interrogatam Mafcard: de probat: concil. 7. n. 34.*

Th. XVI. Forma confessionis, de qua occasione subjecti, in ch: XIII. etiam aliquid dictum; vel est interna vel externa, illa, ut fiat sponte c. i. 15. q. 6. & libere, adeoque absq; tormentis & meru gloss. in l. qui carcerem ff. quod met. caus: nisi ratihabito postmodum subsecuta fuerit *Bened: de Capra de notori: membr: l. u. 35.* *Myns: responsi l. n. 17.* modo insuper si specifica, vera, certa & expresa *Barbos: lib. 3. c. 44.* *axiom: 10.* Nā si quis coacte & justo meru compulsus vel dolo inductus, quid confiteatur, confessio non nocet; indeq; confessio in tormentis facta nulla est, nisi deinceps remotis tormentis, vel in iudicio ad bancum, ut vocant, vel in vinculis coram duobus confitens testibus, tantum ratam habeat per text: in l. 2. C. de custod: reor: *Quemadmodum etiam in CC. Carol: V. artic. 56. §. der Gefangen &c. constitutum est: & passim usu servatur*

tur Jul: Clar: in recit: sent: lib: 5. §. fin: q. 64. n. 40. & Bajard: ibid: n. 129.  
& seqq: Matth: Stephani in not: ad Constat: Carol: d. art: 56. Dn. Hahn: in  
not: ad Wesenb: n. 5. junge Carpz: in Prax: rer: crim: p. 3. q. 126.

Th. XVII. Non autem statim ad torturam decurrentum est,  
ut per illam confessio aliqua eliciatur, sed requiritur (1) ut praestò sit  
causa gravitas Wesenb: de Quest: n. 5. Vult: lib: 1. Jurispr. Rom: c. 2. n. 57.  
nimurum, ut causa sit criminalis, eaq; atrox & capitalis l. 1. 8. ff. de quest:  
Carlo: V. in Ord: Crim: art: 8. in princ: So die Misschatt einer Todstraff  
halben fündlich Heinr: Bocer: in tract: de quest: c. 3. In ceteris autem causis  
pecuniarii ex Paul: lib: 5. sent: tit: 1. 5. ratio non admittit cruciatus inferri cor-  
pori, ubi tantum pecunia periculum subest l. 8. 9. ff. de quest: Carpz: d.  
q. 119. n. 36. & 37. (2) ut de corpore delicti constet v. g. hominem oc-  
cism vel simile delictum revera commissum esse l. 1. §. 24. ubi Dd. de  
SCto Silan: Myns: cent: 3. obs: 81. Christoph: Besold: in thesaur: pract: voce  
Peinliche Frage / & amplius in Diff: de process. c. 18. n. 5. P. H. D. art: 6.  
Coll: Jur: Arg: de Quest: th: 3. (3) ut confessio verosimilis sit, & tales conti-  
neant circumstantias, quæ non absone sunt Besold: in thes: allegans ad id  
Tertull: in Apologet: (4) ut veritas aliter haberi nequeat. Cum enim re-  
medium hoc indagandæ veritatis quandoq; sit dubium Cris: de indec-  
delict. p. 4. c. 37. n. 2. & periculorum, non nisi ex gravi causa, & si de  
vero aliter constare nequeat l. 1. §. 1. C. de jurej: p. calumn: l. 8. pr: ff. de  
quest: l. 9. eod: Pat: in Analyse. C. d. t. (puta per apertissima documenta,  
aut testes idoneos, & omni exceptione majores saltem duos Ayrer: pro-  
cess: Histor: jur: c. 4. n. 49. Gail: de pac: publ: c. 15. n. 7. Const: Carol: Crim: art:  
67.) ad id deveniendum est Gilhaus: in Arb: Crim: p. 7. c. 6. n. 9. & 10. Carpz:  
in Crim: pract: p. 3. q. 117. n. 5. Besold: in thesaur: pract: Dn: D. Schnobel:  
in D. ad π. D. 24. th: 25. jungatur l. 1. §. 23 ff de quest: (5) Deniq; ut locus  
sit questioni, indicia perpetrati delicti, quæ Judicem ad deferenda tor-  
menta moveant, praecedere debent lufficientia, legitima, & ut vocant  
proxima l. 1. §. 1. 4. 17. l. 18. §. 2. l. 20. l. ult: ff. de quest: l. 17. in fin: C. ad  
L. Cornel: de fals: Et in hoc Dd unanimiter ferè conveniunt, quos longo  
agmine allegat Farin: in Prax: Crim: lib: 1. tit: 5. q. 37. Quæ vero indicia  
in quovis delicto ad formandas questiones sint lufficientia & legitima,  
ob varietates circumstantiarum, & qualitates factorum, certa aliquæ  
regulæ, definiri non potest. P. H. D. art: 18. & 24. Ideoq; arbitrio Ju-  
dicis

91

dicis multum h̄c tribuendum esse, pleriq; Dd. statuant, per Ord: Crim  
art: 27. vid: Menoch: de pr̄sumpt: lib: 1. q. 89. n. 1. Vult: n. 41 Gilhau: c. 6.  
p. 7. sed: 2. n. 5. ut tamen id adstrictum sit juri & exequitati: Quare  
in ejusmodi casibus Jurisperitos eonsulendos esse, svadet Carpz: de in-  
dic: incert: q. 123. n. 68.

